



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 14. Quænam sunt poenæ duelli?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

vis vi repellitur cum debita moderatione. Præterea ipsa acceptatio est etiam aggressio, nam qui acceptat, vult aggredi adversarium, & in ipsum invadit.

*Q. 14. Quenam sunt pœne duelli?*

*Resp.* Conc. Trident. sess. 25. c. 19. ipso facto excommunicat 1. Principes, ac Dominos temporales, qui in suis terris locum aliquem ad ejusmodi pugnam concesserint. 2. Suasores & spectatores duelli. 3. Ipsos pugnantes, & qui eorum patrini vocantur cum proscriptione bonorum, perpetua infamia, & pœnis homicidarum; & si in conflictu decesserint, privatione Ecclesiasticæ sepulturæ. Greg. vero XIII. constit. 78. & Clemens VIII. Constit. *Illius vices*, pœnas illas extenderunt ad duella privata, seu non solemnia, hoc est, in loco non tuto, nec publicè commissa, & absque patrinis sociisque; imò ad provocantem, & acceptantem, etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commiserint, si ad locum accesserint pugnaturi, & per eos non steterit, quominus pugnarent. Item Clemens VIII. hanc excommunicationem Papæ reservavit, & hanc cum aliis pœnis supradictis extendit etiam ad suadentes, vel provocantes, ad spectatores, ad scribentes, mittentes, ac divulgantes chartulas provocatorias, eorumque fautores, & complices, ad eos, qui ad duellum arma, equos, commeatus, vel con-

Q 5

filium,

filium, auxilium præbuerint, vel præberi curaverint quocumque modo, etiamsi pugna non fuerit secuta; atque etiam ad eos, qui paciscuntur de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrimque illatus fuerit.

Observa 1. Duvallius asserit has constitutiones, quamvis in Gallia promulgatae non sint, tamen esse usu receptas, eò quòd committentes duella particularia puniantur excommunicatione, & privatione sepulturae Ecclesiasticae. Alii dicunt Episcopos Galliae specialiter excommunicationem duello sibi reservatam annexuisse. Certè cæteris multorum Archiepiscoporum, & Episcoporum Parisiis. an. 1654. congregatorum excommunicationem ipso facto tulit, & Episcopo reservavit contra duellum privatum ineuntes, & contra provocantes, voces, vel chartas provocatorias ferentes, & alios eas acceptantes, quamvis pugna non sit secuta, modò per eos non steterit, quominus pugnarent.

2. Nomine spectatorum juxta multos non intelliguntur casu, & obiter aspicientes duellum, qui illac fortuitò transibant, sed qui illud spectant *ex composito*, ut fert Bulla Gregor. & *de industria*, ut Clemens loquitur.

3. Licet quævis pugna cum vitæ periculo voluntariè suscepta privatâ authoritate, sit jure naturali illicita, cum nusquam liceat priva-  
tis

tis vitam hominis destruere, vel illius destru-  
 endæ periculo se exponere, nisi ad necessa-  
 riam vitæ defensionem; tamen ad contrahen-  
 dam excommunicationem illam, juxta mul-  
 tos, requiritur pugna ex pacto invicem inito,  
 uno scilicet indicente, & altero acceptante,  
 cum designatione loci, ac temporis. Quia  
 Greg. expressè dicit *ex condicto, statuto tempo-  
 re, & in loco convento*; & Clemens *ex compo-  
 sito*: unde si duo subito in iram, vel rixam versi  
 gladios extrahant, & sibi pugnent, licet pec-  
 cent mortaliter, non tamen hanc excommu-  
 nicationem contrahunt, quia hæc pugna non  
 est ex condicto, seu ex composito, live pacto  
 pugnandi, sed est ipsamet rixa.

4. Qui moritur in consuetu, privatur se-  
 pulchra sacrâ. Si tamen duellum, non fuerit  
 notorium, Barbosa monet, tunc Parochum  
 debere rem ad Ordinarium deferre; quia pub-  
 licæ pœnæ solum publicis criminibus, & au-  
 ctoritate publica sunt infligendæ.

5. Juxta multos, qui alterum in duello u-  
 trique voluntario occidit, non tenetur ipsi nec  
 ejus hæredibus ad restitutionem: quia, in-  
 quiunt, occisus in pugnam lethalem consen-  
 tiendo, censetur sponte in mortem consenti-  
 re, adeoque in damna mortem consequentia,  
 & concedere alteri facultatem contra se agen-  
 di quod potest; item provocatus si provocan-  
 tem occidat, nil tenetur restituere, quia pro-  
 vocans invitat alium ad sui occisionem, si for-

tè Superior sit, & sic implicitè consentit in omnia damna inde secutura: scienti autem, & sponte consentienti non sit injuria. Nihilominùs videtur teneri restituere damna creditoribus inde obvenientia, & alere uxorem, ac liberos occisi, si indigeant, & occisus eos alere ex suo quæstu: nam hic non potest validè condonare jus alienum. Constat autem provocantem teneri ad restitutionem, si provocatus occidatur, & involuntariè pugnârit, & solum ad vim repellendam, quia provocans est tunc aggressor injustus, nec aggressori injusto sponte condonatur restitutio. Porro provocatus, qui voluntariè, & ex condicto descendit in pugnam, censetur, & est aggressor, cum nullam vim patiat, & revera provocantem etiam aggreditur, nec purè se defendit.

*Q. 15. Quid tenetur homicida, vel mutilator restituere?*

*Resp. I.* Ex communi læsor tenetur solvere integras expensas factas in curationem læsi, & compensare omne lucrum cessans, & omnia damna realia ex homicidio, mutilatione, vel læsione secuta, L. ult. ff. *de his qui effud.* quia injusta sua actione fuit causa efficax talium damnorum, & cessationis lucri: sed qui est causa damni per injuriam, tenetur ad restitutionem, c. ult. *de injur.* Omnia autem damna realia, & lucrum cessans restitui debent hæredibus